

ACADEMICVM

INSTAR

ACADEMICVM

ACADEMICVM
INSTAR.

IN QVO

ex multigena disciplina non pauca
strictim enarrantur.

A PAGANINO GAUDENTIO

Th. & I.C.

In celeberrimo Pisarum Athenaeo humaniorum
literarum interprete.

VARIA CARMINA DE IISDEM
aut similibus argumentis inseruntur.



FLORENTIAE

Typis nouis Amatoris Mafse, & Soc. 1639.

SVPERIORVM PERMISSV.

Serenissimo Principi


MATTHIÆ
AB ETRVRIA.



*V*l putant liberalibus disciplinis, li-
terisq; non bene cum armis militari-
que vita genere convenire, ne illi
ostendant se à recta ratione per auiã
aberrare, et historia, quæ dux est humana vita,
esse imperitos. animus namq; eius, qui castra se-
qui cogitat, muniendus est salutaribus monitis, ci-
vilibusq; præceptis non alibi, quam apud Sapien-
tes doctrinarum professores, inq; libris ipsorum
inveniendis. Hinc factum videmus, ut apud
Romanos vix quisquam reperiatúr ex patritijs in
bellum profectus, qui non prius Athenis, Rho-
di, Masilia, aut saltem domi Romæq; iuveni-
les annos studio eloquentia, & philosophia, illi
præsertim, quæ de moribus agit, impendisset.
Unus ferè Marius ignarus literarum gloriam
in re bellica videtur consecutus, quam tamen



I N O B I T V
S E R E N I S S I M A E
M A R I Æ M A G D A L E N Æ
M A G N Æ D V C I S E T R V R I Æ
Archiducis Austriae.
A L L O C V T I O.



RES semper visa est difficultatis plena in lugubri argumento orationem construere, praesertim cum Principum, & quidem magnorum, mors est deploranda, nam hinc lacrymabilis materia omnem ornatum, omne artificium respuere videtur, & vel silentio inuolui, vel quam simplicissime referri cupit; illinc verò quando de ijs agitur, qui maiestate erant decori, & in summae dignitatis fastigio collocati, nihil non graue, non exactum, nihil non dignum tanta sublimitate in publico confessu proferendum. ut mea mens non leuiter concussa distrahatur in varias partes, quan-